Plurimum Reverende, Clarissime Doctissime Vir,
D. Patrue per aetatem Venerande

N:

Charissimas tuas, D. Diederichs traditas $\frac{5}{15}$ Sept. accepi quidem, sed non ante
$\frac{14}{24}$ ejusdem, quando jam laetum nuncium de D.ae Patruelis Harckenia felici partu
habebamus. Gratulamur ex animo ipsi et vobis omnibus, Deum rogantes, ut nova
cum prole novas affundat benedictiones optimis parentibus, prolem autem ipsam
SS.o imbuat et assurgere faciat ad nominis sui gloriam suorumque delectamentu
et propriam salutem. Mea nonnunquam spem facit, viresque nonnihil recolligere
videtur, mox autem etiam talia protrudit, quae non ulceris in pulmonibus non ob-
scurum faciunt indicium, adeo ut plane inter spem et metum verser, ipsa vero
ad summum ultra trihorium singulis diebus lecto prodire non possit. Media nata,
postque maxima vix ac ne vix quidem convaluit, pariter in morbum incidit. Morbilli u-
bique nos inde grassantur, quibus et nostram infestatum iri credidimus, needum tamen ejus
rei ullis apparentibus vestigiis. Sed et domum vestram non sine aegritudine esse acce-
pimus dolentes, optimamque D. Amitam male habere nunciavit Affinis noster D.
Cognatus Härekenius. Speramus tn. eam a malo isto epidemico liberam et
jam nunc pristinae sanitati restitutam, reliquosque vestros salvos esse et incolumes,
et Te imprimis, pl. R. D. Patrue. Deus faxit, ut ne opus sit nunciare in-
vicem, quae maerorem maerori addant, servet nos utrobique clementer, et si ul-
tra visitare velit, sanctificet nobis visitationes suas. Tinanno, cujus pa-
rens etiam non satis recte habet, manum Chirurgi exhibui, cui se respon-
surum promisit. D.ae Ambariae vicem sane dolemus, eique meliora animitus precamur.
Plura scribere vetant crebrae interpellationes. Addo tn. descriptionem boni atramenti,
quam mittere jussus sum. ℞ Gallarum 3 uncias, vel 2½ sanguinis calcanti (Chuysenwitz
oder Kuyzenwyden) uncias 2, Gummi 2 unc., cerevisiae tenuis quadrantem (1 pint
vel paulo plus), aceti optimi medium quadrantem, salis manipulum dimidium.
Gallae frangantur mallei ictu, omniumque primo vel in ollam puram novam, vel in vitream
injiciantur, dein gummi quoque conteratur non in pulverem sed in frustula, gallisque adjiciatur, ter-
tio cerevisia cum aceto affundatur, 4to aeris flos injiciatur, tandemque sal, et, si placuerit,
sacchari purioris tantum quantum modicum cochlear capit. His omnibus factis tota ma-
teria bacillo quotidie aliquoties moveatur, idque continuetur integro decendio (diu n. ex-
spectandum antequam utilis fiat, quia non coquitur) postmodum scriptioni quotidie fit a-
ptior, et licet palleat quando primum in charta excepta est, postridie tn. perfecte
nigra erit. Excipiatur modo ab initio hoc atramenti genus in atramentario non rancido
et incipiet D. Patruus tunc multis annis nunquam nullum atrum habere. Neque opus erit
sumtus suprascriptos saepe facere, cum tota massa gallarum etc. sub liquore superfuso
perpetuo in eodem vase asservetur, donec liquor deficiat, quo tempore tuto novus qua-
drans ex aceto et cerevisia mixtus denuo superfundi, et fit intra paucos dies no-
vum atramentum. Probatum est. Lubens finem facere, sed ecce, Tinannus adest,
responsumque affert Chirurgi exhibendum, immodicae magnitudinis, cujus summam
Belgice descriptam adjicere debui, ut exactiori satisfiant. Rogat a. senex aeque
ac filius, ut D. Patruus simplidem unum tonsori simul offerat, quo ipsi eum putant
satisfactum. Id si acceptet, D. Patruus brevi tantundem recipiet S.V. Salve-
te omnes et singuli amanter à me et meis, et valete.

Bremae 24 Oct. 1659.

Rev. et Clariss. D. Patrui

observantissimus

H. Coch.

Plurimum Reverendo, Clarissimo
Doctissimoq; Viro, Dno Johanni Coc-
cejo, SS. Theol. Doctori et Pro-
fessori longè Celeberrimo, Dno
Patrono meo pl. Venerando

Franco tot
Amsterdam.

Leidam.